

*Weigelio optare, ut vel ad horæ dimidiæ spatium fias truncus; (O möchte ich ein Kloß seyn nur eine halbe Stunde / ich würde ein Prophet und Apostel / in Postill. Dom. XII. Trinit.) a Christianis moribus & exemplis prorsus alienum est: eaque ratione potius Diabolo via aperitur, ad seducendas animas credulas & periculo sese offerentes, prout exemplis Gentilium, Pontificiorum & Anabaptistarum constat. Sed hæc pro nostri instituti ratione prosequi ulterius non licet. Videri tamen possunt, quæ scripserunt Theologi Lub. Hamb. & Lüneb. in augsf. Berich. §. 297. seqq. p. 150. seqq.*

LXXVII. Quamvis igitur negare non audeamus revelationes singulares omnes, quibus Deus homines fideles de gratia sua & secutura beatitudine certiores reddat, quarum exempla non pauca extare audivimus & confessi sumus: tamen hæc rariora atque extraordinaria, non tam promissa esse, quam arcano Dei consilio & abundantanti bonitate conferri solere fateri cogimur. Moribundis etiam talia contingere, magis credibile est, qui velut in limine vitæ beatæ constituti, sensum ejus abundantiore percipiant; quam viventibus ac valentibus. Atque inter eos, qui morti proximi sunt, martyribus & afflictioribus aliis, præsertim his, qui tentati sæpius, ac fidei exercitamentis ardentique vitæ æternæ desiderio præparati sunt; prægustum illum singularem frequentius, quam aliis, conferri, exempla hæcenus docuerunt: quamvis ut libertati summi Numinis limites ponamus; utique religioni nobis esse debeat.

LXXVIII. Patet autem ex hæcenus dictis, quid respondendum sit ad quæstionem; utrum prægustus vitæ æternæ nobis a Deo conferatur *immediate*? an *mediante verbo*, tanquam organo, aut instrumento? Certum est, verbum Dei, quod & verbum Scripturæ dicimus, exhibere nobis doctrinam de bonitate Dei plane stupenda, & amore erga genus humanum, deque multis ac singularibus atque omnem rationis humanæ captum transcendentibus beneficiis, per Christum mediatorem nobis exhibitis, æternæ beatitudinis nobis conferendæ causa,